

v.3.

synæ suæ patrocinio conservetur. Ratio ista illustratur similitudine imbris improvisè cadentis, cùm nubes plenæ fuerint / quæ nubium imprægnatio quomodo, quandoq; fiat; & in quam partē terræ se se exoneraturæ sint nubes, nemo hominum scit, & arboris, quæ in quam partem casura sit, nemo scit, dum erecta stat; sed quū cadit, quem invenit, opprimit. v.3. Tales casus fortuiti videntur homini, sed certi sunt apud Deum, & ipsius dispensatione reguntur, nunc in pœnæ, nunc in singularis custodiæ exemplum. Luc. 13: 4. Ita turris, quæ ceciderat in Hierosolymitanos, fortuitò videbatur eos oppressisse: sed Servator ostendit, omnes peccatores, nisi relippiscant, similiter perituros; hora, qua non putant. Ut laqueus, venit dies Domini in habitantes terram. Consolationem verò pii habent in istiusmodi casibus, quèd pilus de capite eorum non cadit sine voluntate patris eorū cœlestis. Et conservatio mirabilis in periculis tam decretoriis promittitur à Christo Matt. 24:40. 41. unus assumitur, alter omittitur. 42. Vigilate igitur, quia nescitis, qua hora venturus sit.

v.4.

ij. prætextus incommoditatis adimitur cùm ignaviæ, tum tarditati ad beneficiendum:

1. à jactura commoditatis, quæ est in expectatione ejus: quam comitatur jactura ipsius boni. Parabolice proponitur ea ratio. Qui servat, hoc est, observat ventum, timens seminis dissipationem & contusionem, vel ventum genialem expectans, inimicum verò germinationi vitans, non seminabit. Vix n. unquam ita benignum aut tranquillum cœlum erit, ut nullum sic fementi à vento incommodum. Virgil. i. Georgicon. Præterea tā sunt Arcturi sidera nobis Haedorumq; dies servandi & lucidus Anguis; Quām quibus in patriam ventosa per æquora vœctis Pontus & ostrifcri fauces tentantur Al ydi. Item: Hinc tempestates dubio prædiscere cælo possumus, hinc messisq; diem tempusq; serendi. Qui spectat nubes, timens pluvias, non metet. v. 4. Sensus: Sæpiissime fieri potest, ut, dum differtur opus ob alicujus incommodi præsentiam, & alia opportunitas expectatur, occasio bona amittatur. quia raro ulla opportunitas est ita sincera, ut nihil adsit molestiæ & incommodi. Ignavia & animi alienitas à bono operæ tempus alienum causari solet. Sedulitas & seria voluntas amolitur, perrumpit, superat omnes difficultates, primamque occa-